

test, quin novam in hos usus sacros arcam fabricati sint, & in templo posteriori asservaverint Judæi, quam suo Epiphanius *lib. de mensuris & ponderibus c. IV. p. 162. T. II. Opp.* testimonio munit, & *Ἀρχὴν arcam*, Tertullianus *lib. de habit. Mul. cap. 3.* ubi de prophetia Henoch loquitur, *Judaicum armarium*, Gemara cod. **שקלי** & ap. David Cohen de Lara in **עיר רון** p. 27. **גרוסקו** & **Νορσοίλα** γλωσσόκομον, *serinium*, Damascenus *lib. IV. de Orthod. fide c. 18.* τὴν κιβωτὸν appellat, cujusque ad imitationem Judæi in Synagogis suis **ארון** *armarium* quoddam & serinium illustri loco collocatum, cereisque accensis ut plurimum ornatum, hodiernum habent, quo legis volumina in publicos sacrorum usus servant, indeque magna cum pompa promunt, populoque exhibent spectanda (\*). Ita quidem Christi adhuc ætate, autographum posterius in capsâ testamentaria asservatum in templo fuisse, vero perquam est simile, donec ingruente templi, urbis ac reipublicæ excidio Romano, illud pariter in communi sacrorum suppellectilium ruina aboleretur.

### §. VIII.

Canones.

Hinc canones emergunt Critici, ad *θεοπνευσίαν* libri cujusdam, vel æstimandam & dijudicandam, vel asserendam & defendendam, facientes.

I. *Quæ divinitus sunt inspirata, ea nulla sui parte ex ingenio aut arbitrio scriptorum profecta, sed Deo, ejusque Spiritui, in solidum sunt in acceptis ferenda.* Quod ex hætenus dictis patet. Iniqui ergo sunt in Scripturam *θεόπνευστον*, qui scriptores sacros, vel cum Pontificiis (\*\* ) & Hug. Grotio, in rebus historicis, aut ante jam sibi cognitis ac perspectis, inspiratione caruisse; vel cum Arminianis, in circumstantiis facti, humanæ conditioni & fragilitati suæ relictos fuisse (\*\*\*) ; vel denique historiam rerum gestarum, ex annalibus & anti-

(\*) Confer, quæ & de arca Synagogæ, in qua liber legis reponi consuevit, & de ejus ab arca testamentaria derivatione atque origine, doctissimus collegit Vitringa *de Synagoga Vet. Lib. I. P. I. cap. 8. p. 174. sqq.* cui Leusdenium junge *Philol. Hebr. Dissert. 34. §. 12. p. 405. sq.*

(\*\*) Corn. a Lapide & Bonfrerio, quos confutavit Heidegger. *Exerc. Bibl. II. §. 15. 16. p. 19. sq.*

(\*\*\*) Contra quos disputat laudatus Carpzovius *cit. Disp. §. 15. sqq. p. 1342.*